

TERRÆ MOTVS
DE COMETIS ET
traiectionibus.

COMETARVM, traiectionum, & igni-
tarum aeris impressionum aliarum causas,
generationē, species, differentias, magnitudi-
nem, numerū, figuram, situm, demonstraciones, & por-
tenta hīc à me nō expectabis: qui illa de proprio ope-
re, tribus libris (modò hæc arrisissē cognouero) pro-
pediem, cum alijs ingenuè tibi sum exhibitus.

DE TERRÆ MOTVS GE-
neratione, causis, speciebus, & alijs.

T E R-
ræ mot⁹
genera-
tio.

TERRÆ motus in hunc fit modum. Ter-
ra aquam multam in se continens, à sole,
stellis & igneis corporibus quæ non pauca
intra se habet, excalfacta, spiritum multum concipit:
qui quia subtilissimus est, oxyssimus, & ad impetum
faciendum aptissimus, uagè per illius inania discur-
rens, quemadmodum copia uehementer concutit, ita
motum & tremorem facile parit. Nam dum collecta
spirituum materia sibi exitum molitur, & in propriū
naturalēmque locum euolare susque deque cōtendit:
quia dato obstaculo id assequi minus potest, alterna-
tim & uicissim nunc terram exagit, nunc ab ea re-
percussa insilit: & donec euerterit aut aperuerit, per-
ualidē aggreditur & insurgit.

Motus
terre spe-
cies qua-
tuor.
Prima,

Motus terræ species quatuor duntaxat hīc recen-
sēbimus: quanquā Aristot.in lib.de Mūdo plures ha-
bet. Vna, ruina, arietatio & casus uocatur: Senecæ in-
clinationes.